



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

424. De advenis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

370 R E G I N O N I S L I B . II .  
prius in honorat , aut verbo aut facto contumeliam facit , tamdiu à liminibus Ecclesiae arceatur quousque per condignam pœnitentiam satisfaciat . Ait enim Apostolus : *Presbyteri qui præsunt , duplice honore digni habeantur.* Item alibi dicit : *Obedite præpositis vestris , & subiecti eis estote .* & cetera .

1. Tim. 5.

Hebr. 13.

Si quis contradicit Episcopo ne servi propter  
crimina virginis cædantur . *Ex Concilio  
ad sanctum Medardum .*

Concil. Suec-  
tion. 2. Act.  
8. c. 9.

C C C C X X I I I . Ut Missi nostri omnibus per singulas parœchias denuntient quia si Episcopus aut ministri Episcoporum pro crimibus colonos flagellaverint cum virgis , propter metum aliorum , ut ipsi criminosi corrigantur , cum tali discretione , sine ulla occasione indebita , sicut in synodo collocutum est , ut vel inviti pœnitentiam agant , ne æternali- ter pereant . Si seniores ipsorum colonorum indignè tulerint , & aliquam vindictam exinde exercere voluerint , aut eosdem colonos , ne distringantur , contendere præsumperint , sciant quia & bannum nostrum componant , & simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram harmiscaram durissimam sustinebunt .

De advenis . *Ex Concilio Karoli & Lothari  
ad Valentianas , cap. x .*

Capitula Ka-  
roli Calvi tit.  
12. c. 9.

C C C C X X I V . De advenis qui oppres-  
sione Nortmannorum vel Britannorum in  
partes istorum regnum configerunt , statuerunt seniores nostri ut à nullo reipublicæ mi-

nistro quamcumque violentiam vel oppressio-  
nem aut exactionem patiantur; sed liceat eis  
conductum suum querere, donec pace reddita  
aut ipsi redeant ad loca sua, aut seniores illo-  
rum eos recipient. Nullus autem eos inservire  
præsumat, eo quod loco mercenarij apud ali-  
quem manserint, nec censum aut tributum  
exigere. Quod si inventus fuerit ex reipublicæ  
ministris aut alius quilibet contra hoc pietatis  
præceptum facere aut fecisse, bannum no-  
strum exinde componat.

Unde suprà.

CCCCXXV. Pervenit ad aures facer-  
dotum quod profugi, qui paganorum manus  
omnibus bonis amissis vix evaserunt, in regio-  
nibus nostris à quibusdam injustè oppriman-  
tur, & in servitutem redigantur contra divinas  
humanasque leges, cum Dominus per Pro-  
phetam dicat: *Advenæ ne feceritis calumniam Hierem.*  
*In loco hoc, & habitabo vobiscum.* Et iterum:  
*Advenam non contristabis.* & multa his similia. Exod. 22.  
Tales igitur severiter corripiendi sunt, & de  
manibus eorum advenæ eruendi, juxta quod  
scriptum est: *Eripiens inopem de manu fortioris Psal. 34.*  
ejus &c. Nam advenæ apud fratres suos, id  
est, Christianos, mercenarij debent esse, non  
servi. Si autem in servitutem redigantur, quid  
illis profuit paganorum manus effugisse, cum  
captivitatis jugum & duræ servitutis non effu-  
gerint? Et ideo contra hanc crudelitatem sa-  
cerdotum debet pietas decertare, ne pro tam  
immani malitia ira divina populum Christia-  
num consumat.

Aa ij